COMMENTARIOLI PRACTICI

IN COACAS HIPPOCRATIS PRAENOTIONES

PENSO II.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

COGNATIONE PARAPHRENITIDIS ET FEBRIVM MALIGNARVM

PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQVE CANDIDATI

GEORGII CHRISTIANI BIEDERMANNI

BRESA-LVNEBVRGICI

D. III. OCT. A. R. S. MDCCLII.

HABENDAM INDICIT

ORDINIS MEDICI

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRODECANVS

IO. GOTHOFR. BRENDEL

D. P. P. O.

GOETTINGAE

Typis Io. Chriſtoph. Ludolph. Schultzii, *Acad. Typographi.*



COMMENTARIOLI PRACTICI IN COACAS HIPPOCRATIS PRAENOTIONES PENSVM II.

5) Ἀι ἐκ καταψύξιος ἔρων ἀπολήψιες, κάκιςαι.

Poſt algorem vrinas intercipi, peſſimum. De dyſuriis febrium acutarum ſymptomaticis, ſtranguriae fuerint ſiue iſchuriae, accipienda haec eſſe, idem locus, alibi (*a*) inſtructior, docet: αἱ ἐκ καταψύξιος ἐν ὀξέσιν ἔρων ἀπολήψιες, κάκιςαι. Symptoma hoc, praeſagii plerumque non boni, in quaelibet acutarum incidere tempora poteſt: inprimis tamen obſeruamus per confinia incrementi & vigoris. Febres acutae, quibus frequentius eſt, ſunt phrenitis, vnde σύμφορον φρενιτικοῖσιν ἔρησιν vere dixit ARETAEVS (*b*); febres malignae omnes; exanthematicae omnes; pleuritis, illa praeſertim, cui HIPPOCRATES (*c*) *dolores in principio molles eſſe* ait, *quinta vel ſexta die exacerbandos, qua impliciti ad duodecimam diem perueniant, raroque ſeruentur:* tum cognatae pleuritidi, & plerumque ſociae vel ſuccedentes febres pectoris inflammatoriae, acutae denique puerperarum, vel ſine cauſis dyſuriae ex partu difficili. Algor in acutis triplex eſt: ſtricte dictus, ſiue perfrigerium ſaltem membrorum, horror, rigor denique. Hic nomine καταψύξιος ſpecies algoris intelligendas eſſe omnes, & experientia & alii multi HIPPOCRATIS loci docent, vel ſtatim ſequentes. Praeter initia febis acutae, in decurſum algoris qualiscunque ſpecies nunquam temere incidit, quin vel critici quid vel ſymptomatici

(*a*) *Prorrhet. I. 1.*

(*b*) *De Cur. Acutor. I. 1.*

(*c*) *Coacar. III. 138.*

matici, atque hoc quidem ſaepius, portendat. Iſta inter, quae hic data opera recenſeri nequeunt, & dyſuriae ſymptomaticae ſunt. Hae plerumque ſub exacerbationibus febris grauiores eſſe ſolent, leuiores ſub remiſſionibus, vel tum plane abeſſe. Aliae ſunt dyſuriae, quae febribus acutis epigennematis modo ſeſe addunt, quarum cauſa ſaltem ſocia febris eſt; cum adſint aliae corpori priuatae atque inquilinae, febre ſaltem illa, tanquam occaſione, laceſſendae: vt calculus, vermes, coryza vteri, menſtrua, molimina haemorrhoidum, ſpasmi hyſterici, rheumatici, arthritici, & ſimilia. Aliae denique dyſuriae ingeſtâ ſequi posſunt. Ad prognoſin omnium ſunt ineundae rationes. De nonnullis ex altero genere intelligendum videtur aliud HIPPOCRATICVM (*d*): *πρὸ ῥίγεως σχώσιες τῶν ȣ̓ρων, ἢν ἐκ χρηςῶν ἴωσιν, καὶ κοιλίη ἢν ὑποδιέλθη, καὶ ὕπνοι ἐνέωσιν. ἴσως δὲ, καὶ ὁ τρόπος τȣ̃ πυρετȣ̃, ἴσως δὲ, κα᾽ τὰ ἐκ κόπων. Ante rigorem* (fiunt) *retentiones vrinarum, ſi ex bonis fuerint,* (aut ſi bonis è ſignis contigerint:) *ſin & aluus ſucceſſerit,* (plerumque in dyſuriis aut clauſa, aut ſaltem tenesmodes,) *& ſomni fuerint. Fortaſſis etiam febris indoles,* (erit attendenda,) *fortaſſis quae ex laſſitudinibus,* (oriri repetique poſſint, circumſpicienda,) *Laſſitudines, κόπȣς*, veteres referebant inter ſigna imminentis morbi, neque male ſtatuebant triplices, aeſtuoſas ſcilicet, vlceroſas & ſpaſticas; ex quibus de ſucceſſura morbi ſpecie coniectura fieri poſſet. Hic intelligi videntur ſpaſticae illae, aeſtuoſis plerumque coniunctae, quae doloribus artuum, maxime lumborum, non malae notae, inter alia ſigna denunciant menſtrua, vel haemorrhoidum varia molimina. His nomen *κόπων* tribuit HIPPOCRATES (*e*), alio elegantiſſimo loco de haemorrhoidibus veſicae vrinariae: *αἷμα ȣ̓ρῆσαι, ὀλιγάκις μὲν, καὶ ἄτερ πυρετȣ̃ καὶ ὀδύνης, ȣ̓δὲν κακὸν σημαίνει, ἀλλὰ κόπων λύσις γίνεται.*

6)

(*d*) *Epid. VI. 1.*

(*e*) *Prorrhet. II. 10.*

6) Μετὰ ῥίγ8ς ἄγνοια κακόν. κακὸν δὲ καὶ λήθη.

Cum rigore ignorantia, malum: malum item, obliuio. Praeſagium imminentis iamiam apoplexiae, ex interceptione ſenſuum, ἀγνοία, cum caligine varia, & memoriae inſolita ſubitaneaque imbecillitate. Cur mentio fiat rigoris, paucis diſpiciendum. Inuadit apoplexia, niſi protinus mortem attulerit, cum febre mox pediſſequa, ſatis valida, indolisque inflammatoriae, vt ſanguis teſtatur, pleuritico plerumque ſimilis. Rigor, ipſum febris initium, dum impetit, & apoplexia impetum facit.

7) Τὰ κωματώδεα ῥίγεα ὑπολέθρια, καὶ τὸ φλογῶδες ἐν προσώπω μετ᾽ ἱδρῶτος, ἐν τ8τοισι κακόηθες. Ἐπὶ τ8τέοισι ψύξις τῶν ὄπισθεν, σπασμὸν ἐπικαλέει.

Soporoſi rigores nonnihil ſunt pernicioſi: & flammeus in facie color cum ſudore, in his malignus. Ad haec frigus poſteriorum partium, ſpasmum accerſit. Alii κωματώδεα ῥίγεα, alii καυματώδεα legere malunt (*f*). Dubium eſſe poteſt, vtris accedendum, cum in neutram partem exempla luculenta deſint. Non quidem hic videtur illud eſſe ῥίγος καυματῶδες, á quo πῦρ ἐπιλαμβάνειν (*g*), itemque ὀξύτατον τὸν πυρετὸν ἐκλάμπειν (*h*), HIPPOCRATICA recte alias docent: intelligenda potius iſta ῥίγεα de alternis erraticisque rigoribus aeſtibusque; aut de *algentibus externis, dum interna peruruntur cum ſiti* (*i*). Ne hepialas & lipyrias veterum, & AEGINETAE ῥῖγος ἀνενθέρμαντον (*k*) in his febribus, malignarum paraphrenitidumue tribui accenſendis, hic commemoremus: referri poſſunt, non inita experientia, ad initia decurſumque febrium quarundam maligna-

(*f*) Eodem loco, *Prorrhet. I. 8*, editiones optimae, habent καυματώδεα, & κακὸν pro voce κακόηθες.

(*g*) *De morbis I 4.*

(*h*) *De veteri med. 31.*

(*i*) *Aph IV. 48.*

(*k*) *L. II. 23.*

lignarum. At viciſſim & *ῥίγεα κωματώδεα* habent, quod rerum vſus afferat. Vtrique ſententiae fauet veriſſimum illud (*l*): *Qui è principio ſudant vrinis coctis, aeſtuoſi, modo non critico perfrigefacti, breui rurſus circum ardentes, torpidi, ſoporoſi, tremuli, pernicioſe habent.* Et *ῥίγεα* inter *καυματώδεα*, & inter *κωματώδεα*, harum initia febrium obſeruantur. Flammeam faciem & tum nonnulli exhibent, per erraticas potiſſimum & ſubitaneas vices, inter ſudores circa ſuperiora: & poſtea, ſudores inter eosdem paulo durabiliorem, cum acceſſurum eſt, vel iam tenet agrypnocoma. De quo bene AEGINETA (*m*): *ποτὲ δὲ ἔρευθος αὐτοῖς ἐπανθεῖ.* Dum adhuc per interualla mens conſtat, de quodam ex dorſo frigore conqueruntur, praeſertim ſub exordiis exacerbationum. Accedit poſtea, & ante agrypnocoma, & ſub illo, inter balbam linguam tremor, potiſſimum alterutrius brachii cruriſue, per viciſſitudines quasdam vehementior, praeſertim ſub exacerbationibus febris: abitque ille tremor in leuiorem paralyſin, quicum ſpaſtici quid coniunctum eſt, contractis quippe digitis & membris, vel ab adſtante difficilius flectendis, *σκληρυσμὸν* exprimens HIPPOCRATICVM. Finem cum ſopore mors facit. Non omnino infrequentia ſunt haec atrabilariis, haemorrhoidariis, quos vocant, & generatim hypochondriacis confirmatis, plerumque ſimul nonnihil arthriticis, cum paraphrenitico malignoue modo febriunt: his enim febribus inprimis opportuni ſunt. De iisdem, ſiue febre eiusmodi ſint impliciti, ſiue pro modulo ſuo valeant, inprimis inter confinia aetatis virilis & ſenilis, verius nihil eſt illo HIPPOCRATICO (*n*): *Si lingua derepente impotens fiat, aut aliqua corporis pars ſiderata, atrabiliarium tale eſt.* Scilicet his ſunt turbae in reditu ſanguinis per hepar qualescunque. Ibidem quaerenda ſedes cauſae, qua auctore, per conſenſum affectae partes laborant. Ceterum non refragabor, ſi quis huic effato locum aliquem asſertum

(*l*) *Prorrhet. I. 14.*
(*m*) *L. III. c. 10.*
(*n*) *Aph. VII. 40.*


ſertum cupiat & in apoplexia, in febribus intermittentibus ſoporoſis, in ipſo interdum lethargo, in ſingulari denique iſta difficilique virginum ex interceptis vtcunque menſtruis, ſaepe coniunctis vermibus inteſtinorum, epilepſia, quae à lentis chronicisque initiis, per ſpasmos alterutrius brachii, cruris, muſculorumque faciei inter fugitiui delirii ſigna, non ſine lenta febre, ad phrenitidem letalem cum conuulſionibus perpetuis tandem procedit. In apoplexia leniori, malo ὑπολεθρίῳ, vbi ad ſe redierit aeger, dum exacerbatio febris recidiuam attulerit, ſentire & prodere poteſt algorem ex dorſo, prodromum imminentis exacerbationis: neque diſpar eſt ratio incipientis lethargi, non ſymptomatici praeſertim. Spasmi nomine generatim venire in HIPPOCRATICIS notum eſt, quicquid ad conuulſorios affectus redit, ipſosque tremores, vel ſpasmos cum immobilitate: quos initiis paralyſeos ex apoplexia ſaepe coniunctos, & in lethargo, accedere videmus.

8) Καὶ ὅλως δὲ ψύξις τῶν ὄπισθεν, σπασμῶδες.

Et vniuerſim, frigus poſteriorum partium, conuulſorium eſt. Poſteriores partes ſunt ceruix, dorſum & lumbi. Sic ipſe alibi HIPPOCRATES (*o*): *conuulſoriae videntur perfrigerationes colli & dorſi, quin totius corporis.* Per ψύξιν hic intelligendi algores omnes, inprimis perfrigerium ſimplex & horrores: ſpaſmodica itidem latiſſime accipienda. Ita vero videmus tale frigus inter alia atque alia ſigna prodromum eſſe imminentis paroxyſmi epileptici, hyſterici, & quicquid ſpaſtici obſeruatur. *Sopores*, quibus *conuulſorii quid* ſubdubitanter HIPPOCRATES (*p*) tribuit, ſic inuadunt: & febres malignae ex ſoporibus. Iſchuriam febrium acutarum attigimus: neque hoc frigore anteſignano caret quaecunque alia. Generatim enim *veſica intercepta conuulſorii quippiam habet, tum alias, tum cum capitis dolore* (*q*).

(*o*) *Coac. I. 121.*
(*p*) *Coac. II 47.*
(*q*) *Coac. V.*

Ve-



Veniendum eſt ad Candidatum digniſſimum

GEORGIVM CHRISTIANVM BIEDERMANNVM

BRESA-LVNEBVRGICVM,

qui de natalibus ſuis ſtudiisque ipſe his expoſuit:

Natus in vico Luneburgico Breſe Anno 1728 Menſe Octobri, Patrem habui pridem ad coelites transgreſſum, IOHANNEM IVLIVM BIEDERMANN, ibidem Eccleſiae miniſtrum; Matrem, quam vitae auctor feneſcere iubeat, GERTRVDEN ELISABETHAM, CHRISTIANI REINHOLDI Pharmacopoei quondam Luchouienſis filiam. E domeſticis literarum tyrociniis in ſcholam celeberrimam Cellenſem miſſus, duce Rectore meritiſſimo, Sene venerando, Cel. MARCARDO profeci. Inde ab auunculo honoratiſſimo, quem parentis honore veneror, FRIDERICO CHRISTIANO REINHOLDO, Pharmacopoea Luchouienſi peritiſſimo, receptus, quatuor fere annos in addiſcenda arte pharmaceutica ſic exegi, vt literis ſimul vacarem, praeceptoribus Cel. CRAMERO & LINDNERO, Rectoribus Scholae Luchouienſis. Tum in inclytam Acad. Ienenſem profectus, Prorectore Illuſtri DARIESIO, in philoſophicis Ill. MVLLERVM, in phyſicis, mathematicis, botanicis, phyſiologicis, pathologicis, ſemioticis & materia medica Ill. HAMBERGERVM; in anatomicis item & chirurgicis Ill. KALTSCHMIDIVM duces veneror. Exactis ibi annis duobus, 1751. inclytam adii Georgiam Auguſtam, Prorectore Ill. AYRERO ciuitati adſcriptus. Praeceptores hic habui, quos pie perſancteque ſemper colam, Illuſtrem Ordinis Medici Primarium, RICHTERVM, in materia medica, Ill. & Generoſiſſ. *de* HALLER in anatomia, phyſiologia, chirurgia, medicina forenſi, atque botanica: Ill. SEGNERVM in chemia Exc. ROEDERERVM in oſteologia & arte obſtetricia.

Me denique tradentem medendi methodum, rem obſtetriciam, pharmaciam, chemiam, inſtitutiones medicinae clinicae, ſedulo audiuit. In examine ſuffragiis omnium cum laude potitus, copiamque cathedrae merito nactus, ex hac, me praeſide, diſſertationem defendet inauguralem, *de cognatione paraphrenitidis & febrium malignarum*, praemiſſa lectione curſoria de *ſale culinari:* deinde honoribus in medicina ſummis priuilegiisque, PRAESCITV ATQVE ASSENSV SPLENDISSIMI ACADEMIAE CANCELLARII, impertiendus. Huius diſputationis ſolemnia vt praeſentia ornare ſua velint PRO-RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, SENATORII VRBIS PROCERES, HOSPITES, CIVES PERILLVSTRES GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI, Ordo Medicus, me interprete, nuncupatis viciſſim ſtudiis officiisque, rogat. P. P. In Academia Georgia Auguſta, ſigillo Ordinis Medici, d. 2. Oct. 1752.

